à Scirrhosis glandulis compressa, tum Sanguinis et Lymphæ spissitudini et acrimoniæ quam sex rerum non naturalium abusus jam jam recensendus induxit.

3.° ægrum ab ipsis Adolescentiæ primordiis Veneris, Gulæ, et Ludi voluptatibus nimium servisse, quas ut expleret, nec Sumptui parcebat, nec Corpori, quod sæpius vigiliis, et improbo Labore macerabat.

4.° ipsum Gonorrhæâ virulentâ et Cancris venereis pluries affectum fuisse; quæ mala, ut ipse fatebatur, Medentium operam ferè eludebant, quia vel ipso Curationis tempore vix, aì ne vix quidem à venereis congressibus abstinebat: hinc mihi non levis Latentis luis venereæ orta suspicio.

Quæ omnia attento animo considerans jam totus indicationi incumbo. itaquè solida sicca et excorrugata veniunt laxanda, fluida spissa et acria diluenda et demulcenda, obstructiones reserandæ, et Latens venerea labes, quam morbi fomitem existimo, debellanda.

Dum hæc meditor, rogat æger ut ipsi mentem candidè aperiam, remediaquè indicem quibus si non tolli, saltèm levari queat morbus. Cui ut satisfaciam, remediorum seriem propono, methodumquè exhibeo quâ morbus mihi videatur oppugnandus. vix sermoni finem impono cùm æger in meos nititur amplexus, mihi, sibiquè gratulando quòd eadem remedia proposuerim quæ ipsi suaserit Cl. D. Chicoyneau, et statim exhibet legendam quam me hactenus celaverat, Consultationem auream quam ipsi antequàm discederet Vir præstantissimus dederat. lego, voro Litteras ab ipso Magistro exaratas, tantiquè Viri auctoritate et Consilio fretus Morbi medicationem audacter suscipio.

Itaquè Sanguine parcâ manu misso, et præmissâ levi Catharsi, jusculis diluentibus et demulcentibus per 15 dies usus est æger, quibus successit balneum aquæ dulcis tepidæ bis in diè per octiduum, et dein præscripta diæta Lactea, quam excepit frictionum mercurialium usus secundùm methodum à Cl. D. Chicoyneau in traditâ Consultatione præscriptam, quam adamussim sequutus sum, et eò quidèm alacriùs quòd hæc sempèr mihi feliciter cesserit in omnibus infectis qui meæ Curæ se commiserint. Ut igitur prœcaveretur ptyalismus, qui haud dubiè ægro tabido funestus fuisset, tres statìm dies, deindè quatuor ab inunctione liberi interjecti sunt, donèc ad Septem frictiones quas sine noxâ sustinuit, perventum fuerit. Res mira! à primâ frictione institutâ penitùs cessavit Vomitus, quo factum ut finito tentamine vires in dies redintegrarentur, et non levis affulgeret Salutis spes; sèd post quadragesimum à 1a. frictione diem æger libertatem anhelans, et salutaris diætæ lacteæ pertæsus domo egressus fuit, et hâc ipsâ die panem, pisces, Castaneas, imò et uvas recentes in prandio assumpsit malo suo maximo; nàm duabus à prandio transactis horis Cholerâ morbo tàm immani affectus fuit, ut irritis omnibus Artis auxiliis intrà Septemdecim horas supremo fato fungeretur.

Apertio Cadaveris brevi instituta fuit à Chirurgo rei Anatomicæ non ignaro coràm me, et duobus in Praxi discipulis, multisquè defuncti Consanguineis, et amicis. Itaquè sublatis Abdominis integumentis statìm sese prodiit in conspectum Ventriculus portentosâ mole donatus, et ità in textu laxatus, ut omnia omninò Intestina contegeret, et infima ejus pars pelvim occuparet, ossiquè Pubis incumberet. Stupui meherculè ipsis oculis cernens quod anteà ne mente quidèm attigissem. reverà æger pluriès mihi affirmaverat se sentire, dum vomeret, materies ex hypogastrio

proficisci, et sursum efferri, quod ex Structurâ Ventriculi, et illius situ naturali fieri non posse existimaveram; sed fateor, erravi ipse, cum de Ventriculi herniâ nunquàm cogitaverim. quis autem de illâ cogitasset, et tale Conformationis vitium in Ventriculo suspicatus esset? profectò similem casum non audiveram, nec videram, nec legeram. Intestina corrugata, et in diametro valdè angustata videbantur, ita ut Colon pollicem vix superaret amplitudine. Mesenterium scirrhosis scatebat glandulis. Pancreatis Corpus mole maximum, et totum scirrhosum. Oesophagi amplitudo insignis. Venæ Ventriculi fundum perreptantes varicosæ. hepar, lien, et alia abdominis viscera nullam notabilem mutationem passa. Sola vesica fellea bile contentâ turgidissima visa fuit. Pulmones sani, et nullis Tuberculis fœdati deprehensi sunt

---

2.ª Observatio
De Partu impossibili

Uxor D. Chambon Mercatoris Arelatensis in Ruscinone 30 annos nata, statura humili, corpore quadrato, et Temperamento sanguineo-melancholico prædita, à quinque mensibus gravida, post nimiam et intempestivam Ciborum pravi succi ingurgitationem febre tertianâ intermittente malignâ corripitur sub finem mensis Novembris anni 1732. ineunte paroxysmo frigus, horror et rigor, Cardialgia, vomitus cum inani et crebro alvum mittendi nisu, seu Cholera semi-suppressa infestant, quæ Calore superveniente evanescunt. tres statim paroxysmos rusticano more, et Medico insalutato patitur

ægra, 4º ingruente me accersit prædictis Symptomatibus per tres horas penè exhausta; nàm eò usquè increbuit Cholera ut non solùm lipothymiæ frequentèr invaderent, sed Sudor frigidus accederet cum dolente Crurum Spasmo. me jubente statim aqua tepida cum oleo olivarum affatim hauritur sæpius et rejicitur materiis biliosis, spumantibus, et amaris tincta, nèc à potu tepido desistitur, donèc aqua vomitu rejecta pellucida et nullatenùs colorata videatur. tùnc Cardiaca cum narcoticis maritata propinantur, quæ licèt partitis vicibus assumantur vomitu statim rejiciuntur, ità ut misera ægrotans hora momento animam actura videatur. Re in angusto positâ jam vini nostratis potentissimi cochlear j. exhibeo quod servat Ventriculus, semiquadrante elapso aliud datur, et sic successivè per horam continuando Cholera cum suis satellitibus evanescit, vires redintegrantur, et calor febrilis exurgit, Levis quidèm cum pulsu parvo sed duro: mox rubor faciem occupat, accedit jactatio, tument Jugulares externæ, dolet intensè Caput, difficilis fit respiratio. aperitur Cephalica, Sanguine misso ad ℥ viij dilatatur pulsus, et sensim decrescunt Symptomata cum paroxysmo.

Finito paroxysmo, et sedatâ gravi illius tempestate, eò collimare mihi videtur indicatio, ut avertam pro viribus sequentem paroxysmum, solidorum Corporis, et præcipuè Ventriculi erethismum compescam, et spicula materierum acriorum in Ventriculo et intestinis nidulantium obtundam. quamobrem (quoniam est periculum in morâ, et in intermissione pretium) statim summo mane instituitur purgatio ad iij. doses cum decocto junioris pulli gallinacei in quo medulla cassiæ ad ℥ ij leniter ebullierit, solutâ

mannâ Calabrinâ ad ℥iij. et addito oleo amigd. dulc. sine igne expresso ad ℥j. solvitur feliciter alvus sine torminibus, dejectiones multæ, fœtidæ, biliosæ, juvante plurimum ptisanâ ex decocto foliorum malvæ cum tantillo Cinnamomi, quâ calidâ durante purgantis actione, et deinceps, usa est ægrotans, interpositis jusculis in quibus oleum amigd. dulc. ad ℥j. semper addebatur. finitâ purgantis actione statim Cortex peruvianus ad ʒj. cum 3ª parte grani j. Laudani opiati 3ª quaque horâ exhibitus est, ità ut vj. doses in usum venerint ante reditum paroxysmi, qui non defuit quidem, sed sine Cholerâ, aliisque gravibus symptomatibus fractus accessit, intrà paucas horas cessavit, et ulteriori Corticis usu victus amplius non apparuit.

Verum enim vero licet hoc modo febris profligata fuerit, pristinas tamen vires resumere nunquàm valuit ægra, quidquid auxilii Ars obtulerit, sed languida et debilis, superveniente febriculâ reliquos graviditatis menses emensa est, donèc instaret Partus, quem difficilem futurum sempèr existimaveram virium habitâ ratione. itaquè post varios dolores et repetitos conatus disrumpuntur membranæ foetum involventes, effluit liquor contentus, et infans situm in utero transversum tenens brachium exerit dextrum ad scapulam usquè, vivus statim baptizatur, et brachium introduci nunquàm potuit tàm Obstetricis curâ, tàm meâ (nàm Chirurgos hujus urbis Anatomiæ ignavissimos non vocavi) sed licet, quantùm fieri poterat, versùs uterum propelleretur, rursùs ipsius contractionibus et Matris conatibus foràs erumpebat ut antea: sic diuturnus Labor Matris nosterquè irritus evasit, et infans mortuus est.

brachio divulso præcipio obstetrici ut manum in Uterum introducat, et infantis pedes apprehendat ut eum foràs extrahat; sed dum hæc fiunt, dicit Obstetrix se unum tantùm invenire Liberum, alterum verò Utero adhærentem, cui statim non credo. igitur suadeo ut Corpus infantis pro viribus expediat, et ad debitum situm deducat ut extrahi possit, quod dum agere nititur, Syncope afficitur ægra, ab operatione desistitur, Cardiaca exhibentur, redit pulsus, et sui compos fit patiens.

Miror ego singularem Casum, dubiusquè statim hæreo in re tàm ancipiti et urgente; sed jàm Obstetrici diffidens et rei certitudinem appetens ipse manum oleo inunctam in Uterum immitto, experiorquè vera quæ ab Obstetrice fuerant relata. itaquè statim, dum digitis, leniter tamèn, Uterum tracto, et pedem irretitum à nexu, quicumque ille sit, liberare contendo, ecce iterum in Syncopem incidit ægra, sed arte reviviscit, Sacramenta administrantur, et intrà paucas horas asphyxiâ accedente animam exhalat.

Apertio Cadaveris à memetipso instituitur, spectantibus hominibus utriusque sexûs, plus quàm viginti. itaquè incisâ Abdominis Cute, et aliis sublatis integumentis, Ecce, ò res stupenda, et meherculè miseratione dignissima! protinùs se dat in conspectum totus pes infantis sinister suprà Uterum exterius eminens ad ipsius Lateralem sinistram partem. Ulcus aderat in illâ Uteri parte quæ eam Continui solutionem passa erat, quæ pedi infantis transitum præbere potuerit. Tibiæ inferior pars suprà malleolos à labiis ulceris arctè constringebatur, ità ut pes infantis ex Utero prominens manu meâ prehensus nèc intrà Uterum propelli, nèc foràs ulterius

extrahi, quâcumque vi adhibitâ, potuerit. Ulceris labia callosa, et ità dura ut Anatomico cultro plurimùm restiterint. insupèr secto Utero foetus et secundinæ nullam alterationem sensibilem, nec corruptionem obtulerunt.

In hâc historiâ duo præcipuè mihi occurrunt admiranda. 1º vis portentosa musculorum Abdominis in cholerâ, qui turgidum foetu et secundinis Uterum contractionibus suis repetitis ità compresserint, ut pes infantis propria involucra quibus vestitur, ipsumquè Uterum solvere, et hâc viam sibi facere potuerit. hæc ferè captum meum superassent, nisi ipse oculis vidissem, manibusquè tractassem. 2º vulnus Utero inflictum à pede infantis membranas illius transgrediente sine inflammationis uteri signis, sine febre ardente, lypiriâ &c, et ulcus callosum subsequutum meam magis admirationem rapiunt, et Naturâ à consueto tramite aberrantis prodigium nunquàm satis mirandum mihi exhibent; nàm vomitus à solutâ malignâ febre ad partum usquè non ampliùs gravidam infestavit; sed hæc per totum illud tempus debilis tantùm, languida, et mœsta videbatur cum febriculâ quidèm ipsi ægrotanti non sensibili, ità ut rebus domesticis adhùc invigilaret, et cubiculo non se contineret, nèc unquàm de doloribus in regione uteri conquesta est. hæc iis ~~decidenda~~ solvenda relinquo, quibus <u>è meliore Luto finxit præcordia Titan</u>; nàm hîc mihi hæret aqua.

Finis